

Die Urkunden Karls des Großen, 108

(C.) Karolus gratia dei rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum omnibus episcopis abbatibus ducibus comitibus domesticis vicariis centenariis vel omnes missos nostros disurrentes. Maximum augere regni nostri credimus munimentum, si beneficia oportuna loca sanctorum vel eclesiarum benivola deliberatione concedimus ac domino protegente stabiliter perdurare confidimus. Igitur noverit sollertia vestra, qualiter nos ad monasterium qui dicitur Prumia, quem bone memoriae dominus et genitor noster Pippinus quondam rex in honore sancti Salvatoris a novo construxit opere, ubi Asuerus abba praeesse videtur, talem beneficium pro aeterna remuneratione visi fuimus ibidem indulsisse, ut in villas ipsius sancti loci, quas moderno tempore aut nostro aut cuiuslibet munere habere videtur vel quas deinceps in iure ipsius monasterii eiusque rectoribus voluerit divina pietas amplificare, nullus iudex publicus absque iussione nostra vel heredum nostrorum ad causas audiendo aut feda undique exigendo nec fideiussoris tollendo nec scaras vel mansionaticos seu coniectos tam de carrigio quamque de parafredos iudiciaria potestas quoque tempore non praesumat ingredere; sed hoc ad ipsum monasterium eiusque rectoribus concessimus, ut sub emunitatis nomine [sub tuitione] vel defensione nostra seu heredum nostrorum debeant quieti residere. Similiter concessimus ad eundem sanctum locum, ut homines, qui super terram ipsius monasterii tam franci quam et ecclesiastici commanere videntur, ut nullum heribannum vel bannum solvere non debeant, sed pro mercedis nostrae augmentum ad ipsum sanctum locum sit concessum atque indultum. Statuentes ergo iubemus, ut neque vos neque iuniores successoresque vestri neque ulla publica iudiciaria potestas ullo umquam tempore in villis ubicunque in regna nostra ipsius monasterii Prumiensi aut regia aut privatorum largitate conlatas aut quae in antea fuerint Christo propitio conlaturas, ad audiendas altercationes ingredere aut feda de quaslibet causas exigere nec mansiones aut paratas vel fideiussoris tollendo nec scaras vel coniectos tam de carrigio quamque qui sunt infra agros vel fines seu super terram praedicti monasterii commanentes, fiscus aut [de] feda aut undecumque potuerat sperare, ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius suprascripti monasterii per manus agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen domini et animae nostrae remedium seu nostra subsequenti progenie plena devotione ad ipso monasterio in honore sancti Salvatoris indulsimus, nec regalis sublimitas nec cuiuslibet iudicum seva cupiditas refragare temptetur. Et ut haec auctoritas tam praesentis quam futuris temporibus inviolata deo adiutore permaneat, manus nostrae subscriptionibus infra roborare decrevimus atque de anulo nostro sigillare iussimus.

Signum domni Karoli gloriosissimi regis (M.).

Data mense novembrio anno octavo et secundo regni nostri; actum Theodonisvilla publica; in dei nomine feliciter.